

affirmamus, quod uel procul a portis urbis, uel ad ostium *Synedrui*, si urbs gentilibus accolis circumdata esset, *lapidatio* peracta sit. Quemadmodum autem nostris quoque temporibus non licitum est, *REVM* nisi *confessum* et *convictum* morte multare: sic etiam Iudaeorum *IURISCONSULTI*, qui eo cautius, et tutius in iudiciis suis criminalibus rem peragere cupiebant, non obliti erant regulae illius: *SITIS TARDI IN IUDICIIS VESTRIS*, quam antea exposuimus; e) sed lege sanxerunt, ut unusquisque *REVS*, licet iamiam in uiam ad locum supplicii eductus sit, semel, bis, ter, quater, quinquies, reduci debeat, si forte de argumento quodam innocentiae *IUDICIBVS* tum demum constitisset.

שׁוֹנְתָהּ סוֹקְלִין אוֹתָהּ עַל פֶּתַח בַּיִת אֲבוֹתָהּ אֵין לָהּ
 פֶּתַח בַּיִת אֲבוֹתָהּ סוֹקְלִין אוֹתָהּ עַל פֶּתַח שַׁעַר הָעִיר
 וּבְעִיר שְׂרׁוּבָה גּוֹיִם סוֹקְלִין אוֹתָהּ עַל פֶּתַח בַּיִת
 : דִּין *Sed qui colit numen peregrinum, illum lapidibus obruunt ante portam, i. e. ciuitatis, in qua idololatriam commisit. Sic enim Doctores nostri exponunt in capite de uirgine, i. e. in tractatus Chethuboth Cap. IV. secundum traditionem oralem, ante portam tuam, haec est porta ciuitatis illius, in qua falsum numen coluit, ibi lapidabitur. Porro ibi in capite de uirgine dicitur, si uirgo est desponsata et se stuprari patitur, lapidibus illam obruunt ad ostium domus paternae, si non habet ostium domus paternae, illam lapidant ante portam huius urbis, et si urbs circumdata est accolis gentilibus, illam ad ostium domus iudicii lapidibus obruunt. Eadem affirmat MAIMONIDES de idololatria occidendo in HILCHOTH SANHEDRIN Cap. XV. fol. 738. col. I. עֵיבֵר עֲבוּדָה זָרָה אֵין סוֹקְלִין אוֹתוֹ עַל שַׁעַר שְׂרׁוּבָה וְאִם הָיְתָה עִיר שְׂרׁוּבָה גּוֹיִם סוֹקְלִין אוֹתוֹ עַל פֶּתַח בַּיִת דִּין: Falso numini cultum exercens religiosum, illum non nisi ante portam urbis, in qua cultum falsum exercuerat, lapidibus obruunt, et si urbs multos habet incolas gentiles, eum ad ostium Synedrui lapidant.*

e) uid. Paragr. huius diff. VIII. pag. 64. 65.